

circa sacra, ejusque causa et origine generatim dicta sumpto. Singula enim, quæ huic potestati insunt jura, innumera prope sunt, nec in hac systematis parte evolvenda. Reliquum est, ut quæ sit potestatis sacræ ad civilem relatio, quive utramque limites contineant, paucis, sed quantum fieri potest dilucide, exponamus.

CAPUT III.

DE LIMITIBUS UTRIUSQUE

POTESTATIS.

§. CXXII.

*Concordia Sacerdotii et Imperii studiose
colenda est.*

Duplex est in orbe suprema potestas, per quam unaquæque Christianorum Respublica regitur, *Sacerdotium* et *Imperium*: (§. LXXVIII.) quorum illud divinis se ministeriis impendit, vitæque futuræ beatam æternitatem curat; (§. VI.) hoc statum Reipublicæ componit, et civilis societatis tranquillitatem vitæque præsentis felicitatem tuetur ac promovet. (§. XCIII.) Utraque à Deo instituta, utraque summa est, (§. LXXIX.) et soli Deo subjecta in his, quæ sui juris sunt: (§. XCVI.) personis, muneribus, negotiis à Christo disjuncta, (§. LXXVI.) et suis porro unaquæque limitibus circumscripta, quibus studiose conservandis populorum felicitas potissimum continetur. *Maxima quidem*, inquit Justinianus Imp. (1) *in hominibus sunt dona Dei à superna collata clementia, Sacerdotium et Imperium; et illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens ac diligentiam exhibens: ex*

(1) *Novell. 6.*

uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam. Ut autem ad conservandam regnorum tranquillitatem nihil est concordia sacerdotii et imperii validius, nihil optatius; ita nihil facile ad eam perturbandam dissidio eorum pertinacius esse potest, nihil ad memoriam tristius. Itaque summo sibi studio nitendum esse arbitrati sunt doctissimi quique prudentissimi-que viri, ut designarent limites utriusque potestati à Patribus constitutos, quibus ea, qua par est, religionis custodiendis pacem colamus inter nos concordiam, quam religionis nostræ auctor *Christus* toties discipulis suis commendavit.

SCHOL. Difficile est, fateor, controversos diu et mirum quantopere confusos limites dirimere. At sunt tamen characteres quidam, sunt quædam tamquam vestigia à majoribus hæud obscure expressa, et incredibili labore, judicio admirabili ab Illustrissimo de Marca ex omni pene antiquitate collecta, quæ si seposito partium contentioso studio, abjectisque præjudicaturum opinionum pernicioso commentis, sequi constanter placet, transigi fortasse his isthæc non infeliciter potest. Tentavit Lochsteinius nostra ætate, et si quid judicare ego de his rebus possum, tentavit egregia cum laude et ingenii et doctrinæ, descriptis hæud multis observationibus omnem penitus tollere controversiam. Quo, si quis docuerit rectiora, sequar: tantisper huic viro adherendum censeo.

§. CXXIII.

Limites utriusque potestatis ex diversitate finium.

Actionum humanarum omnium finis est *vera felicitas*, eaque duplex, *æterna* una potestati sacræ proposita, altera *temporaria*, quam potestas civilis procurat. (§. CXXII.) Possunt itaque omnes cujusvis ho-

minis actiones, qui civilis simul societatis membrum est, duplici cum relatione spectari. Referrī primum scilicet possunt ad *salutem hominis internam*, quo respectu solius est ecclesiasticæ potestatis de iis iudicare, eas formare legibus, harumque contemptorem Christianum consentaneis rei naturæ pœnis ad obsequium præstandum flectere. (§. LXV.) Easdem vero actiones quum ad *civilem* populi *salutem* referuntur, civilibus legibus attemperari necesse est, ejusque unius arbitrio subjici, qui summa cum potestate Reipublicæ præest. (§. XCV.)

SCHOL. Itaque nihil vetat quo minus potestas tam sacra quam civilis, sub diversa tamen relatione, in eadem actione Christiani hominis et dirigenda legibus et pœnis vindicanda concurrant, quin sit necesse, alteram in alterius transire fines. Aptis rem exemplis illustravit Lochstein. *part. 2. cap. 2. §. 3.*

§. CXXIX. *Mediorum.*

Ex finium diversa indole mediorum nascitur diversitas, per quæ ad suum utraque potestas proprium sibi scopum contendit. (§. VI.) Etsi enim nec profana media ad continendos in officio Christianos prorsus inidonea sint, et religionis eximia vis sit in firmanda civili populorum felicitate; sæpeque censurarum sacer horror, quod pœnæ civilis metus non potest, atrocissimum arceat, facinus: fallit tamen quisquīs vel clavium potestatem Ecclesiæ à *Christo* traditam civitati adjudicare, vel temporales pœnas infligendi jus proprium civitate contra majorum traditionem ad Ecclesiam transferre nequidquam conatur. (§. LXVIII. seqq.) Adjuvare altera alteram potestas debet in procuranda humani generis felicitate; erepta alteri jura sibi vindicare non debet. Christus *memor fragilitatis humanæ*, inquit Gelasius P., *quod suo-*

rum saluti congrueret, dispensatione magna temperans, si actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvare, non humana superbia rursus intercipi, ut et Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur: ut et modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, et competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. (§. LXXIV.)

SCHOL. Lochstein *loc. cit.* §. 6.

§. CXXV.

Statuum.

Ut actionum (§. CXXIII.) ita etiam personarum in Republica christiana existentium alia est atque alia relatio, et pro varietate istius varia subjectio. Omnis enim Christianus civili in societate constitutus *Ecclesiæ* simul ac *civitatis* membrum est: ac proinde utriusque simul potestati suo modo subest, et utrique, quibus in rebus debet, obedientiam præstat, *Cæsari* dando quæ sunt *Cæsaris*, et quæ sunt *Dei*, *Deo*. (§. LXXVIII.) Et quamquam personarum ecclesiasticarum arctior sit quam ceterorum cum Ecclesia conjunctio propter ministerium, cui se addixerunt voto, civium tamen in numero minime esse desinunt: neque enim ministerii à *Christo* instituti ea natura est, ut cum officio boni civis conjungi commode non possit (1). Ut ut igitur in sacri muneris functionibus obeundis Episcopi arbitrio atque Ecclesiæ canonibus potissimum regantur, in ceteris tamen humanæ vitæ negotiis jure reliquorum civium communi utantur necesse est, colantque majestatem Regum suorum, quibus eos haud minus quam sæculares subditos

(1) *De Marca lib. 2. cap. 7.*

esse oportere ex *Paulo* docuit *Joan. Chrysostomus.* (§. CI.)

SCHOL. *Lochstein loc. cit.* §. 4. et 7. Justinianum Imp. reprehendit de Marca, quod de sacræ liturgiæ ritibus constitutionem ediderit, qua mystica verba consecrationis Eucharistiæ elata voce, non autem demissa, ut soleme erat, proferri jubet; eo quod de ritu sacrificiorum decernere tentet; quæ pars disciplinæ solis sacerdotibus competit *lib. 2. cap. 6. §. 6.* Sed non minus præfinitos à Christo limites prætergressus videtur Innocentius III. dum ministros Ecclesiæ sua voluit auctoritate ab omni Principum suorum imperio exemptos. (§. CVII.)

§. CXXXVI.

Bonorum.

Non magis arduum fuerit æquos definire limites juris in *bona ecclesiastica*, si modo patientem veri animum adferre volumus, et rem ex se, non ex nostra cupiditate æstimare. Rerum ecclesiasticarum duo possunt distingui genera: unum earum est, quæ ad cultum *Dei* externum omnino necessariæ sunt, veluti templa, altaria, calices, et si quæ sunt alia his similia: alterum vero illarum, quæ alendis Ecclesiæ ministris, parandoque ornatui addicta sunt, ut decimæ, prædia, domus, alia. *Illæ*, tamquam *Deo* sacræ Ecclesiæ directioni relictæ sunt, neque extra casum impendentis publicæ necessitatis in alios usus convertendæ. At, quæ res ex genere sunt posteriore, eas imperio civili quis subduxit? Etsi enim Ecclesiæ bona sint propria, etsi alendis ejus ministris pauperibusque destinata, num ob id minus quam aliorum in territorio civitatis sita bona eminenti ejus juri obnoxia sunt? (§. CVII.)

SCHOL. *Lochstein loc. cit.* §. 8. Opposuit quidem *Lochsteinio* dissertationem bene longam *Ansel. Molitor* alio jam loco à nobis citatam, sed multa disserendo nihil proficit. Æquior est *Antonius Schmit, Instit. jur.*

eccles. tom. 1. cap. 2. sect. 2. art. 2. nec is tamen scholasticorum nuper receptis præjudiciis, tametsi callide tectis, vacuus.

§. CXXVII.

Objecti.

Liquidiores sunt ceteris, et à veteribus luculentius expressi limites, quibus duas istas potestates *objecti*, circa quod versantur, natura circumscripsit. Videntur autem his posse regulis commode comprehendere. (I) *In iis omnibus, quæ sunt mere spiritualia, libero Ecclesia atque independente jure gaudet*, perinde ut (II) *temporalia omnia soli in Republica summi potestati subjiciuntur.* (§. XCV. LXXIV.) Quod si qua sunt per se quidem profana, arbitrario tamen nexu cum spiritualibus cohærentia, ea (III) *mixti fori negotia sunt habenda, atque ideo utrique potestati ex æquo subjicienda*, repudiata illa canonistarum vulgata quidem, sed inepta regula: *spirituale* tamquam nobilius trahit post se *temporale*: qua egregie illi sæpe abusi sunt (1). Ex quo consequens est (IV.), *ut in utriusque Imperantis potestate sit positum sancitis pro auctoritate legibus certam iis formam præscribere*, ita ut (V.) *canones ab Ecclesia de hoc genere negotiorum conditi tum demum vim publicæ legis sortiantur, cum civilis Imperantis confirmatio accesserit.* Si demum (VI.) his omnibus pacato studio expensis orta de jure quæstio dirimi minime possit, *non armis nec censuris, sed amico utriusque Principis consensu expedienda est.* Quæ sopiendarum hujus generis litium ratio non modo humanitati magis congrua, et saluti populorum securitatique magis utilis, verum etiam præcepta est; quippe quæ sola religionis christianæ lenitati consentanea est, sola consentiens mansuetudini Ecclesiæ. Quæ S.

(1) *Lochstein. loc. cit. §. 1. 2.*

Ambrossii exemplo edocta dolore quidem potest, potest flere; adversus arma, milites, lacrymæ ejus arma sunt: talia enim sunt munimenta sacerdotum; aliter nec debet, nec potest resistere. (§. C.) Meminerint autem Reges quoque ac Principes hujus mundi, sive augeatur pax et disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur. Deum ab eis exacturum rationem, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit. (§. CX.)

SCHOL. Lochstein loc. cit. §. 9. seqq. Ill. de Riegger Instit. jurispr. eccles. §. 352. seqq.

§. CXXVIII.

Conclusio.

Atque hæc sunt, amici, quæ de Ecclesia à Christo instituta, de potestate illius ac regimine, hujusque ad civile regimen habitu, meo more explicare generatim vobis apud animum meum constitui. An id, quod unice intendebam, ut, qui me vobis ducem in hoc studio elegeritis, haberetis, quod in tam ancipiti argumento tuto sequi possitis, adsequutus sim, adfirmare, etsi velim, non audeo. Conabar id quidem certe. Sed abfuerunt multa et abfuerunt non mea culpa, quibus instructum largiter doctorem esse oportet, qui in hac studii istius parte versari cum aliqua nominis sui commendatione desiderat. In his subsidiorum tantis angustiis vereor, ne ignorantia exciderint non pauca, quæ emendatione egeant. Nec deerunt alia, quæ dici concinnius, plura, quæ alio loco dici potuerint: sed vos quidem spero faventes me habiturum judices.

FINIS.

